



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 9. Patres Synodi actis subscribere jussi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1563

porro id abs dubio ab eo factum dicebant, ne Philippum II. Hispaniæ Regem offenderet: postquam igitur Cardinalis in Franciam redierat, hac super re a Senatu Regio objurgabatur; ast ille reposuit, quod hac agendi ratione usus esset, ut inter utrumque potentissimum Regem pacem conservaret, atque per eorum unionem totius Christianæ Reipublicæ utilitatem procuraret.

§. IX.

*Patres Synodi actis subscribere jussi.*

Pallav. l. 24.  
c. 8. n. 13.

Absolutis acclamationibus injunctum fuit a Legatis, & Præsidentibus sub poena excommunicationis omnibus Patribus, ut, antequam discederent e civitate Tridentina, subscriberent manu propria decretis concilii, ac ea per publicum instrumentum approbarent. Postea Synodi Promotor cunctis, qui Concilio a secretis, ac tum præsentibus erant, præcepit, ut subscribentium nomina in tabulas referrent, demum vero Moronus Legatus Hymnum Ambrosianum intonabat, quo decantato omnibus Synodi Patribus bene precatus dixit: *Ite in pace.* Massarelus autem, qui Synodo a secretis erat, juncta cum ceteris opera cuncta decreta colligebat, ac Patrum subscriptiones, prout jussus erat,

Sæcul. XVI.  
A. C. 1563.

erat, recipiebat, ubi eorum, qui suum chirographum apponebant, numerus ad ducentos quinquaginta (\*) quinque ascenderat; sese enim subscripserant quatuor Legati, duo Cardinales, tres Patriarchæ, viginti quinque Archiepiscopi, centum sexaginta octo Episcopi, triginta novem Procuratores legitimo mandato pro absentibus instructi, septem Abbates, nimirum Claravallensis, quatuor Montis Cassini, Cluniacensis, & Abbas villæ Bertrandi ex Tarragonensi Provincia in Hispania, ac denique septem Ordinum Generales, scilicet Dominicanorum, Fratrum Minorum de Observantia, Fratrum Minorum Conventualium, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Servitarum, & Jesuitarum, qui omnes verbo: *subscripsi*: addebant: *desiniendo*, exceptis Procuratoribus, qui nunquam jure suffragii gaudebant.

Finitis omnibus hisce subscriptionibus Synodi acta esse genuina, ac vera attestabantur Angelus Massarelus, Episcopus Thelesinus, sacro Concilio Tridentino a Secretis, & Marcus An-

M 3 tonius

(\*) Acta Concilii dicunt *sexaginta*, computatis tamen illis, qui hic se subscripsisse referuntur, non inveniuntur plures quam ducenti quinquaginta quinque.

Sæcul. XVI. A.C. 1563  
 tonius, necnon Clericus Peregrinus  
 Comensis, ejusdem Concilii Notarius,  
 sicut etiam Cynthius Pamphilius, Cle-  
 ricus Camerinus, pariter ejusdem  
 Concilii Notarius.

Biduo post absolutum hoc Conci-  
 lium omnes Oratores Tridenti agentes  
 excepto Lunensi Comite decreta om-  
 nia, & singula receperunt, ac sua no-  
 mina in loco a Patrum subscriptione  
 separato apposuerunt, excipiebantur au-  
 tem eorum subscriptiones non juxta or-  
 dinem sui adventus, prout antea con-  
 venerat, sed quodammodo servato or-  
 dine, quo in Synodo confederant, ac  
 loca sua occupaverant: insuper Hel-  
 vetii Oratoris subscriptio separatim facta,  
 ac comprobata est per quemdam alium  
 Secretarium, cujus tamen rei causa  
 ignoratur, adeo, ut quatuor diversæ  
 essent chartæ, & in prima sese subscri-  
 pserint Oratores Ecclesiastici, scilicet  
 Cæsarei, vices ipsius Imperatoris agen-  
 tes, necnon ceteri nomine Regis Ro-  
 manorum, ac Principis Hæreditarii  
 præsentis, & postea Oratores Poloniæ,  
 Sabaudia, Florentiæ, & Patriarcha  
 Hierosolymitanus, inter quos unus e-  
 rat Laicus cujusdam Ecclesiastici So-  
 cius nimirum Sigismundus Taurinen-  
 sis, circa quem nulla erat contentio,  
 cum illius prærogativa a nemine in  
 du-

dubium vocaretur. In altera charta <sup>Sæcul. XVI,</sup>  
 solus subscriptus legebatur Joachimus, A.C. 1563.  
 qui a Pagorum Catholicorum Clero  
 Orator fuerat decretus. In tertia con-  
 firmabatur receptio Oratorum Lusita-  
 niæ, & Reipublicæ Venetæ: in postre-  
 ma denique se subscripsit Melchior Luf-  
 sus alter Helvetiorum Laicorum Ora-  
 tor, qui una omnes nomine suorum  
 Principum suam fidem obstrinxerant.

Pontifex, quam primum de abso-  
 luta Synodo notitiam acceperat, mox  
 Cardinales in suo Palatio congregatos  
 hac de re certiores reddidit, præcepit-  
 que, ut altera die decima tertia No-  
 vembris in gratiarum actionem ab Ec-  
 clesia sancti Petri usque ad templum  
 Beatæ Virginis supra Minervam solem-  
 nis haberetur supplicatio, ubi omnibus  
 illis, qui eidem interessent, pœna-  
 rum condonationem indulgebat. In-  
 terea Præsules, ceterique ad Conci-  
 lium Deputati inde revertebantur, at-  
 que inter eos Moronus, & Simonetta  
 Legati iter suum Romam versus aggre-  
 diebantur de omnibus, quæ in Synodo  
 gesta fuissent, rationem reddituri, seu  
 potius ea, quæ Pontifex jamjam no-  
 verat, rursus proposituri.